



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.4. Languoris nostri, ad hos Christi ardores comparati, incusatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

q. 47. a. 1.
ad 2.

Quæ eò tendunt univèrsa, ut Christum Dominum voluntariè ac sponte doceat intendisse atque auxisse dolores suos; eòq; cum morte luctantem (quod etiam indicat S. Thomas) divinâ virtute sustentâsse naturam suam, ne confestim victa succumberet; sed productiore & in pœnam vivace fato defungens, sincerio rem mortis suæ sensum, naturâ quidem acerbio rem, at animo tamen atque amoris suojucundio rem haberet.

Alban. q. 4.
in dictis E.
vang.
Tertul. adv.
Gent. c. 21.
Eypria. de I.
dol. vanit.

Neque his repugnant, opinor, Patres, qui eum potius eunctantem mortem ac restitantem, inclinati capitis velut nutu advocasse significant, ut S. Athanasius & alij; vel ut Tertullianus & Cyprianus, prævento carnificis officio, Spiritum sponte dimisisse. Quanquam enim hoc loco parum interest, distulisse mortem illum dicamus, an anticipasse, patiendi desiderio; quando in utrovis æqua relucet dolorum mortis cupiditas: tamen, ex Autoris laudati sensu, facile dicimus utrumque posse consistere. Etenim, dum, præter rerum ordinem, cursumq; causarum naturalium, sui corporis naturam (uti loquitur S. Thomas) in sua fortitudine conservavit; eo sustentavit extremam causarum violentiam; mortemq; sibi, non tam distulit, quàm produxit. Sed cum ejusmodi impensò naturæ præsidio, aut nullo modo, aut non nisi tardiùs moriturus esset, illo subtracto cum voluit, quodammodo prævenit externarum causarum officium, ac se denique morti permittens, spiritum sponte dimisit.

§. 4.

Languoris nostri, ad hos Christi ardores comparati, incusatio.

Hic verò jam exclamare compellor: O summam tuam, ô bone Jesu, & incomprehensibilem charitatem! O ardorem patiendi incredibilem! ô exemplum singulare! sed
quin.

quàm tibi nos, ô afflictissime & patientissime JESU, quàm tibi non re ipsa modò, sed etiam affectu, neque affectu duntaxat, sed sensibus quoque ac judicio dispares sumus! Quàm submotæ sunt atque sejundæ cogitationes tuæ à cogitationibus nostris, & viæ tuæ à vijs nostris.

Tu de summo cœlo, ubi molliter in sinu Patris, perennis illis & ineffabilibus delicijs acquiescebas, patiendi studio in hanc miseriarum convallem descendisti, ut ærumnarum, quæ hic abundant, compos ac particeps fieres: nos in ipsa valle lacrymarum positi, perinde ac si nos primævus ille voluptatis hortus haberet, non nisi mollia & carni commoda quærimus, & (quod in nobis est) locum exilij in terrestrem quasi Paradisum commutare nitimur. Tu divinæ naturæ necessitate summè felix, & secundum humanam, divinæ gloriæ ac beatitudinis particeps, atque extra omnem, (si ita velles) malorum nostrorum aleam ac sortem positus, voluisti tamen gustare mortem, & reliquis nostræ mortalitatis incommodis subjacere: nos injectam nobis, seu corruptæ originis vitio, seu ipsâ nascendi conditione, patiendi moriendiq; necessitatem vix tandem æquo animo patimur. Tu denique ut pati posses, & frui voluptate patientiæ, commovisti naturæ leges, & prodigio multiplici viam tibi ad ærumnas nostras aperuisti: nos è diverso, si quid nobis adversi inciderit, ei amoliendo expectamus à DEO infueta miracula, & communem omnibus naturæ ordinem, nostrâ propriè causâ, moveri ac perverti vellemus. Adeò non imbecilles modò & ignavi, sed etiam vecordes ac cœci sumus.

Domine, aperi oculos pueri hujus, ut videat. Inunge, 4. Reg. 6. queso, oculos mentis nostræ collyrio sanguinis tui, & aperi illos, ut videamus & gustemus, quàm gloriosum sit pro te contemni, quàm dulce tecum & pro te pati.

M m m

CAPVT